



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90117999**

§. 62. Argentolium, Monasterio S. Dionysii junctum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66385)

aditus, nulla jam cum otiosis confabulatione permiscetur, solitus puerorum aut puellarum strepitus non auditur, nemo nisi ad persolvendas Deo Laudes & vota Sacra implenda intrat. In fine S. Bernardus fulsissime scandalum commemorat, quod adhucdum Stephanus de Garlanda, Sugerii amicus Fidelibus dabat, qui Ordine Diaconorum initiatus, munere Archidiaconi ornatus, Decanus, & in pluribus Ecclesiis Præpositus, nihilominus Regis Ludovici Dapifer erat, & exercitus in hostes ducebat, militis nomen omnibus Ecclesiasticis Dignitatibus anteponebat. Quippe illa tempestate Dapifer primum in Regia locum tenebat, & ceteris militiae Ducibus omnibus major habebatur. Ceterum Sugerius Abbas a constanti emendationis proposito nunquam amplius dimotus maxima cura Monasterium suum reformavit, quod hodieque tam ex ejus Scriptis quam ex ædificiis Ecclesiæ ab ipso conditis dispicitur.

## §. LXII.

*Argentelium Monasterio S. Dionysii  
junctum.*

Sugerius in antiquis suæ Abbatix tabulis traditum invenerat, Monasterium *De adminif.*  
Argenteliense Regum ex prima Stirpe *c. 3. tom. 4.*  
tem- *Duch. p. 333.*

Sæcul. XII.  
A.C. 1128.

temporibus fuisse conditum, in exordio S. Dionysii Monasterio donatum, illud Carolum Magnum obtinuisse pro filia sua Theodrada, quam, cum se Deo consecrasset, ibidem Abbatissam constitueret, ea addita conditione, ut si ipsa e vita migrasset, istud monasterium sub potestate Abbatis ad S. Dionysium rediret. At bella civilia inter filios Ludovici Pii exorta obstiterunt, ne constituta executioni dari possent, & interim Argentelium fuit monasterium puellarum, paucarum numero, dissolute, non sine Fidelium scandalo, viventium. Id Sugerius exposuit in Concilio Parisiis, præfente Ludovico Rege, celebrato, cui præerat Matthæus Cardinalis Episcopus Albanensis, Rainaldus Archiepiscopus Remensis, Stephanus Episcopus Parisiensis, Geofridus Episcopus Carnotensis, Gosselinus Sueffionensis, & complures alii interfuerunt. In eo de Reformatione plurium aliorum monasteriorum atque Abbatia feminarum Argenteliensium actum est.

\* Argento-  
lium.

Itaque Sugerius Abbas Tabulas produxit, ex quibus demonstrabatur, Argentelium \* Monasterio S. Dionysii esse subiectum, quibus auditis Sacrae Sedis Legatus, Concilio approbante, præcepit, ut puellis Argenteliensibus, sua lascivia scan-

scandalum dantibus, in feminarum monasteria, ubi Regula strictissime servaretur, detrufis, illuc monachos ex sua Abbatia delectos mitteret. Hoc Decretum confirmavit Episcopus Parisiensis, tum Honorius Papa, & tandem Rex Ludovicus, qui omni jure suo, quod forte in illam Abbatiam ipsi competeret, cessit, datis literis Remis anno millesimo centesimo vigesimo nono, in Comitibus Solemnibus, in Festo Paschæ ad consecrandum juvenem Regem Philippum filium suum primogenitum celebratis. Exinde Monasterium Argenteliense Prioratus, Abbatia S. Dionysii subiectus, semper fuit. (\*)

Sæcul. XII.  
A.C. 1129.

§. LXIII.

*Historia Abaelardi.*

Monialium Argenteliensium Abbatissa tunc erat celebratissima illa Heloïsa, quam cum ceteris ejectam ejus amicus Abaelardus ad quoddam Oratorium, nuper a se in Diocesi Trecensi fundatum, & *Paracletum* dictum, transtulit.

*Abael. p. 34.  
Sup. §. 21.*

S s 4

Ipse

(\*) Hic sine dubio est ille Prioratus, quo in Commendam a Rege Franciæ Ludovico XV. accepto, Illustrissimus Fleurus, Auctor noster, Abbatiam *Loci Dei* generoso animo resignavit.